Portugallien. priuationis Prioratus.

Eme, & Rme Dne. OCcasione visitationis per R.P.Aotonium de Magalhaes Prouincialem Ordinis Hæremitarum Sancti Augustini Prouinciæ Regni Portugalliæ anno 1706. factæ comperto, quod P.Ioannes à Diuo Thoma Prior Conuentus Sanctæ Mariæ Gratiarum Ciuitatis Vlysiponensis, nè dùm defecerat in pluribus sui officij partibus, & præsertìm ergà Infirmos, sed vlteriùs alia patrauerat delicta infrà recensenda, censuit idem P. Prouincialis, esse desupèr contrà ipsum fabricandum Processum,& examinatis triginta Testibus deponentibus de ipsis deficientijs, & delictis censuit quoque, esse ab Officio Prioratus suspendendum, proùt iuxtà dispositionem Constitutionum Ordinis eum sub die 7. Decembris eiusdem anni 1706. suspendit *Summario Num.*1.

Quantis in modis præfatus P. Antonius à Diuo Thoma curauerit impedire nedùm exequutionem dictæ suspensionis, verùm etiam prosequutionem dicti Processus,non ità de facili valet referri,nàm primo loco, & sub eadem die 9.dicti Mensis Decembris appellauit ad Reu.P.Generalem Ordinis, ac suspectum allegauit P. Prouincialem *Summario Num.*2. *&* 3.

Deindè scilicet subsequenti die 15. eiusdem Mensis Decembris recessit ab appellatione, vt suprà ad P.Generalem interposita, & appellauit ad Eminentissimum D. Cardinalem Nuncium Regni Portugalliæ *Summario Num.*4.

Versa vice, quia iuxtà Decretum P.Generalis Perusini ille, qui vult Superiorem suum suspectum allegare tenetur coràm duobus, aut tribus Patribus grauioribus deducere rationes allegatæ suspicionis *Summario Num.*5. P. Prouincialis in suum Iudicem elegit P. Bernardum à Sancto Antonio, & eodem tempore institit, quod alter Religiosus exaduersò eligeretur *Summario Num.6.*

Sed ipse P. Ioannes à Diuo Thoma electo contrà formam dispositionis dicti Decreti P. Generalis Perusini in Iudicem Doctore Iosepho Herreira Soutto Canonico Ecclesiæ Cathedralis,ac facta coràm eo instantia, quod pro parte P.Prouincialis alter eligeretur, alias eligi ex officio *Summario Num.* 7. de facili obtinuit nè dùm deputationem alteriùs Iudicis Sæcularis *Summario Num.* 8. verùm etiam Sententiam declarantem, constare de Causis allegatæ suspicionis *Summario Num.9.*

Reassumpta deindè Causa per Eminentissimum D. Cardinalem Nuncium,& transportatis coràm eo omnibus processibus, ac auditis per Dom. eius Auditorem pluriès partibus, tandèm iste declarauit, non constare de aliquo grauamine, & propterea Causam spectare ad P.Prouincialem Iudicem, à quo *Summario Num.*10.

Quando ſperabatur, quod d. P. Ioannes à S. Thoma debuiſset huic declarationi acquieſcere, maiora tentauit ſubterfugia, nàm recurſum habuit ad Iudices Laicos, qui tamen, recognita iuſtitia omniũ præfatorum Iudicatorum, petitam denegarunt prouiſionem, vt conſtat ex datis in *Summario* alterius noſtræ informationis ſuper prætenſa nullitate Congregationis *I*ntermediæ *Num.4. litt.D.*

Continuata propterea fabricatione Proceſſus fuerunt examinati alij quatraginta nouem Teſtes, & ſic in totum ſeptuaginta nouem omnes deponentes de quampluribus deficientijs, & omiſſionibus, & præſertìm ergà Infirmos, nec non etiam de alijs delictis per dictum P. Priorem patratis, vt ex Proceſſu dato in manibus Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. Cardinalis Ponentis.

Poſt hæc præfatus P. Ioannes à Diuo Thoma alteram interpoſuit appellationem ad Reu. P. Generalem Ordinis *Summario Num.*11. ſed timens, poſſe ei obſtare tàm receſſum aliàs factum, quàm recurſum ad Eminentiſſimum D. Cardinalem Nuncium habitum, & de quibus in *Summario dicto Num.*4. diuerſis ſub prætextibus ſupplicauit huic Sacræ Congregationi pro Cauſæ remiſſione ad P. Generalem *Summario Num.*12. *litt. A.* ſed Eminentiæ Veſtræ auditis priùs informatione, & voto P. Procuratoris Generalis Ordinis, de quibus in *Summario dicto Num.*12. *litt. B.* dignatæ fuerunt præfatam inſtantiam reicere, mediante reſcripto = *Lectum* = *Summario dicto Num.*12. *litt.C.*

Non peruenta adhùc ad Prouinciam notitia dictæ reſolutionis Sacræ Congregationis, & aduento interìm tempore deueniendi ad celebrationem Congregationis Intermediæ, binas in ea ipſe P. Ioannes à Diuo Thoma, mediante perſona P. Antonij de Tauora eius partialiſſimi curauit fieri inſtantias, alteram ſcilicèt pro admiſſione renunciationis Muneri Prioratus, & alteram pro cognitione, & deciſione præſentis Cauſæ, ſed fuerunt ambæ reiectæ ex validiſſimis, & potentiſſimis fundamentis deductis tàm in altera noſtra informatione data ſuper prætenſa nullitate dictæ Congregationis Intermediæ, quàm etiam in illius *Summario Num.3. & 4.*

Sequuta terminatione ipſius Congregationis Intermediæ, & tradita poſſeſſione Reu. P. Franciſco de Almeida per Reu. Patrem Generalem Ordinis electo in Rectorem Prouincialem in locum P. Antonij de Magalhaes, qui non valens occurrere tot, tantiſque Prouinciæ diſcordijs omnibus cauſatis ex culpa, & defectu præfatorum PP. Ioannis à Diuo Thoma, & Antonij de Tauora inſimùl vnitorum pro totali, & omnimoda deſtructione Regularis Obſeruantiæ, ac totius Prouincię coactus fuerat renunciare muneri Prouincialatus, ac peruenta in Prouinciam notitia ſupradictæ Reſolutionis huius Sacræ Congregationis, de qua in *Summario dicto Num.*12. *litt.C.* non omiſit ipſe P. Franciſcus de Almedia modernus Rector Prouincialis aſſumere cognitionem præſentis Cauſæ, & viſis Proceſſibus, ac

ac assignato termino dicto P. Ioanni à Diuo Thoma ad faciendas suas defensiones, eoque elapso, & nil prorsùs pro eorum parte deducto, tandèm seruatis seruandis iuxtà Constitutiones Ordinis deuenit insimùl cum diffinitorio ad promulgationem Sententiæ diffinitiuæ, in qua eumdem P. Ioannem à Diuo Thoma priuauit tàm Munere Prouincialatus, quàm etiam voce actiua, & passiua per triennium tantùm, & proùt latiùs constat ex lectura ipsius Sententiæ per extensum datæ in *Summario Num.* 13.

Cùm autèm modò ipse P. Ioannes à Diuo Thoma iustet in præsenti Sacra Congregatione pro eius reintegratione tàm ad munus Prioratus, quàm ad vocem actiuam, & passiuam, sufficeret pro omnimoda instantiæ allegare, quod cum ausus fuerit recurrere ad Iudices laicos, vt constat tàm ex datis *in Summario alterius nostræ informationis super Congregatione Intermedia numero* 3. *littera C.*, *& numero* 4. *littera D.*, quàm ex Informatione P. Procuratoris Generalis Ordinis data in præsenti *Summario numero* 12., nullo modò esset audiendus iuxtà dispositionem notissimarum sanctionum.

Nihilominùs, vt Eminentiæ Vestræ dignentur recognoscere merita, & requisita ipsius P. Ioannis à Diuo Thoma, libentissimè assumimus disputationem Causæ, & dicimus, esse absque vllo prorsùs dubio reijciendum prout humilitèr supplicatur, quia vndequaque concurrunt validitas, & iustitia dictæ nostræ sententiæ.

Validitas siquidèm redditur incontrouertibilis ex facti serie supra recensita, & vndequaque iustificata, adeò vt in hac parte superfluum videatur aliquid superaddere.

Iustitia verò clarior esse non potest, & ad eam assequendam superabundat perlegere ipsammet sententiam datam *in Summario dicto numero* 13., quoniam in ea recensentur nè dùm Causæ, ob quas fuit ad dictam priuationem deuentum, & præsertìm ob paucam, imò nullam charitatem erga Infirmos practicatam, verùm etiam Ordinis Constitutiones pœnas priuationis dictis de Causis iniugentes.

Nè autèm de vtrarumque subsistentia dubitari valeat, quoad Causas in dicta sententia relatas, & recensitas dicimus, remanere omnes concludentissimè probatas ex depositione septuaginta nouem Testium omnium contestium, & reddentium optimas Causas scientiæ, vt videre est ex voluminoso processu relicto in manibus Eminentissimi, & Reuerendissimi Cardinalis Ponentis, & pro minori Eminentissimorum, & Reuerendissimorum Patrum incommodo, ac de euitandas maiores, ac inutiles expensas, ac solummodò per extensum damus depositiones quatuor Testium in *Summ. num.* 14.

Quò verò ad Constitutionum dispositiones pœnam declaratæ priua-

 tio-

tionis iniungentes dignabuntur Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini eas recognoscere in *Summario sub numero* 15., in quo similitèr per extensum dantur.

Cumque tota Causæ controuersia, & difficultas reducatur ad exceptiones exaduerso dandas, ideò strictè ad eas primo loco dicimus, non subsistere, quod Causæ sint calumniosæ, & mendicatæ a P. Antonio de Magalhaes tum Prouinciali, quoniàm cum in Conuentu Sanctæ Mariæ Gratiarum Ciuitatis Vlysiponensis non adessent nisi septnaginta nouem Religiosi, & omnes de eis cum iuramento deposuerint, quomodò possibile est, & poterit vmquàm suaderi, quod voluerint omnes falsum deponere contra proprium Priorem?

Et consequentèr quatenùs exaduerso detur quædam asserta fides non nullorum paucorum Religiosorum testantium tàm de dicta asserta calumnia, quàm de optimis moribus ipsius P. Ioannis à Diuo Thoma, respondetur, non esse attendendam, tùm quia fuit extorta, & mendicata post latam dictam sententiam; Tùm etiam quia concurrere non valent cum nostris septuaginta nouem Testibus omnibus cum articulis examinatis; Tùm demùm quià sunt omnes partialissimi præfatorum PP. Antonij de Tauora, & Ioannis à Diuo Thoma principalium motorum, & fauctorum omnium discordiarum in Prouincia vigentium, & consequenter nullam prorsùs merentur fidem ex vulgatis Iuribus.

Longè minùs subsistit, quod vnus ex Diffinitoribus, scilicèt P. Antonius Contiguò renueret subscribere supradictam priuationis sententiam, & fuerit ad eam subscribendum coactus per modernum Reu. P. Rectorem Prouincialem, & pro omnimoda huius nimis exorbitantis prætentionis remotione sufficit allegare, quod exaduerso desuper non datur, nisi asserta attestatio ipsius P. Antonij Contiguò, cui similitèr non est aliqua præstanda fides, nè dùm quià est vnicus, & deponit prorsùs inuerisimilia, nè dicamus impossibilia, sed etiam quia est nimis partialis, ac eiusdem factionis, & naturæ præfatorum PP. Antonij de Tauora, & Ioannis à Diuo Thoma, & propterеà non mirùm, si ausus fuit facere dictum falsam depositionem, qua mediante quis non videt, quod propriam detegit turpitudinem, adeò vt eò fortiùs aliquam fidem non meretur.

Et quandò ipse P. Ioannes à Diuo Thoma conquereretur, quod in Congregatione Intermedia non fuerit ei admissa oblata renunciatio Prioratus, minusque fuerit sententiatus super eius culpis, non est, quod in hac parte aliquid deducamus, quia satis, superque satisfecimus in altera nostra informatione §. *Accedente*; & *sequentibus*.

Solumque addimus, quod casu, quo vtrumque fieri potuisset, nè dùm condemnatus non fuisset, sed potius commendatus, cum ma-

maior pars Vocalium, qui in ea interuenerunt, fuerit, & sit de eius factione, & propterea non mirum quoque si contra dispositionem Constitutionum Ordinis curauit in illa sententiari.

Hanc ipsissimam veritatem possunt Eminentissimi, & Reuerendissimi Patres assequi ex tot, tantisque subterfugijs pro eius parte ad effectum effugiendi condignam pœnam dictæ priuationis factis, & à Nobis suprà recensitis, & plenè probatis.

Cæterùm non deficeret materia, & quidèm grauis super isto Reu. Patre, eiusque vita, & moribus deducenda, & plurimùm conferens pro decisione articuli, de quo in præsenti agitur, sed libentissimè ab illius relatione abstinemus, tàm ad seruandas debitas modestiam, & obseruantiam erga Religiosum tanti Ordinis, quàm etiam, quià sufficientem Eminentissimi, & Reuerendissimi Patres poterunt habere informationem, & notitiam tàm ex depositionibus præfatorum septuaginta nouem Testium, & informatione P. Prioris Generalis Ordinis datis in *Summario numero* 12., *&* 14., quàm ex recursibus per ipsum habitis ad Iudices Laicos; alijsque subterfugijs supra relatis, & demùm ex cæteris documentis datis in Summario alterius nostræ Informationis super prætensa nullitate Congregationis Intermediæ.

Quarè &c.

Michael Angelus Casalius.

SACRA
CONGREGATIONE
Episcoporum, & Regularium
Emo, & Rmo D. Card.
GABRIELLIO
Portugallien. priuationis
Prioratus
PRO
R.P. Prouinciali, & Prouincia Ordinis
Eremitarum S. Augustini Regni
Portugalliæ.
CONTRA
P. Ioannem à Diuo Thoma eiusdem
Ordinis.



Facti

Typis De Comitibus 1708